

De cancro aquatico : dissertatio inauguralis ... / auctor Godofredus Aschmann.

Contributors

Aschmann, Godofried.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h8tsj9bh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
CANCRO AQUATICO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XXVIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

GODOFREDUS ASCHMANN

OCCIDENTALI-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

B. HUMELET, MED. ET CHIR. CAND.

A. REICHENAU, MED. ET CHIR. CAND.

A. ROTHE, CAMERAL. CAND.

DE
CANONICO AQUATICO.

JOHANNES BAPTISTA
VIA URBANA

CONSTITUTIONES ET STATUTA
SACRATISSIMI SACRORUM ROMANAE ECCLESIAE

IN
SACRIS LITTERIS
PUBLICE AUCTORITATE
M. DC. LXXV.

IN AUSTRIACA REGIA UNIVERSITATE
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS

PROFESSORIS
M. JOHANNIS BAPTISTAE
M. DC. LXXV.

AD
SACRATISSIMAM SACRORUM ROMANAE ECCLESIAE
SACRILEGIORUM PENITENTIALE

OPUSCULUM
SACRATISSIMAE SACRORUM ROMANAE ECCLESIAE
SACRILEGIORUM PENITENTIALE
A. HOFER, THEOLOGUS.

IN AUSTRIACA REGIA UNIVERSITATE
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS

V I R O

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

JULIO PLEHN

PRAEDII EQUESTRIIS KOPITKOWO POSSESSORI

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

P R A E F A T I O.

Locum electurus, de quo inauguralem meam dissertationem scriberem, sicuti fieri solet, diu in cunctando dubitandoque versatus sum. Et arbitratus, qui primum libellum scribat in publicum editurus, cum huic rei praecipue studere oportere, ut aliquod disciplinae suae incrementum quaerat; quodcunque thema mihi offerretur vel suavissime arridens, nisi spem suppeditaret, aliquid saltem operam meam ad illustrandam disciplinam medicam profuturam, id rejiciendum putavi. Quid igitur? fuitne eligendus hic, quem sumpsi describendum, morbus, tum raram — quod faustum est — medicorum curam excitans, tum — quod minus optatum — raris virorum doctorum scriptis illustratus; ideoque difficilior ad disquirendum? an fefellit me illa, qua omnes ad res novas et inusitatas trahimur, libido? Quod fortasse haud diffitendum erit. Sed quis non indulserit viris adolescentibus, armare se viribus plusculum confidentibus, ad incepta majora, spreto, quod facile et usitatum esse videtur: praesertim cum vix in ulla quaestione, quae inter medicos oboriri possit, eam, cujus adipiscendi summa laus est, veri eognitionem mentibus hominum prorsus negatam esse videant. Sane qui rectum sibi bonumque eventum sperare velint, ea quae natura ipsa suppeditat, sincere animadvertant, necesse est et ne plus neve minus se videre sibi persuadeant, quam quae sunt, libero utantur iudicio. Quas tamen res, quamvis difficiles, feliciter

se assecuturos, pauci erunt nostrae aetatis, qui non confidant.

Profecto autem adolescentibus, qui nostram disciplinam sectantur, agilitatis virtutis juvenilis exercendae cupidine, ut opus inveniant arduum, virium spei aequale, non, ut heroum, quos olim per terras per mare incultis et ante incognitis viis actos fuisse graecae fabulae credimus, longum est et dubium iter. Nos perfacile vel dextra ingredientes vel laeva locum inveniemus spissis sentibus obscurum, quem explanasse et luci vindicasse laudem et honorem adfert. Quod si minus nobis — ut omni numero absolutum perficiamus, quod proposuimus, contingat; certe aliis fortasse nostra vestigia secuturis, viam reddiderimus faciliorem, neque minus iis quae feliciter conati erimus quam quae perperam, materiam praebuerimus consequendi, quod nostros successus superare poterit.

Quare opus susceptum alacri animo adgredior, quod si prospere gesserō gaudebo: sin minus, tum, ut paene nunquam rebus hominum fragilibus et adversis non additum est, quo mitigentur; ita mihi quoque spes erit solatii saluberrimi, virorum clarissimorum, qui de his conatibus judicabunt, clementiae; quos etiam atque etiam rogo, ut memores sint illius: in magnis voluisse sat est!

PARS GENERALIS.

De cancro aquatico scripturus cum pervestigarem, quid viri docti judicassent de hujus morbi natura, multorum sententiis comparatis vix duos singulos penitus idem de eadem re sensisse vidi, sed prout sua cujusque aetas doctior imperitorve fuerit artis medendi, prout ipse in observandis symptomatis sagacitate, tum in interpretandis ingenio magis minusve excelluerit, diversum unicuique a ceterorum sententiis probatum fuisse cognovi.

Quid? nonne verendum est, ne idem viris medicis circa hanc rem accidat, quod fere solet philologis? hi enim dum veterum scriptorum libris interpretandis operam navant, nonnunquam incurrunt in locum tam male habitum temporis iniquitate, cujus de lectione genuina repertienda nec in variis lectionibus per codices traditis nec in ipsorum ingenio satis auxilii habeant, quin desperandum arbitrentur. Sed melior est conditio medicorum. Quamvis enim multa et magna humanae vitae saluti vel perniciæ afferat tempus, naturam tamen rerum variare non potest: quæ, modo diligenter et docte examinatur et si venia sit verbo recte legatur, nunquam lectionis genuinae inveniendæ non præbet copiam. Quam ob rem non terreor sententiarum varietate: modo enim attentius animadvertamus, quid cuique morbo antecesserit, quid ipsum comitatum, quid secutum sit, modo diligentius quæ animadvertimus colligamus et peritius interpretemur, tandem assequemur, ut veritatem deprehendamus. Quod si ut cujuslibet morbi natura vere et accurate cognoscatur fore non vana spes est, facere cancri aquatici perscrutandi periculum haud alienum duxi, quippe quem veritatem, si minus apprehendere mihi fas sit, attingisse dumtaxat summopere juvabit.

Jam hoc loco ut arctius describam hujus dissertationis fines, loquar de cancri aquatici quam mihi sumpsi tractandam notione. Sequor virum doctissimum *Wiegandium*, qui in libro suo singulari doctissimo cancrum aquaticum esse stomatomalaciam putridam interpretatur. Hic morbus in infantes præcipue cadit, velocissimi est impetus atque eventus.

Quæ in virorum doctorum scriptis obviam veniunt de cancro aquatico observationes, iis ita tantum uti potui, si vere de eodem morbo locuti sunt, quem paulo supra definivi. Ceterum sæpe diversos morbos eadem appellatione confundi — ut stomacacem et cancrum aquaticum apud veteres, morbos plane inter se diversos —

contra eundem saepe diversis nominibus ferri, facile ex his locis, quos jam citabo, apparebit: *Cullen* stomacacem adscribit haemorrhagiis, ordinem in divisione ejus morborum IV occupantibus, quorum in genere signa characteristica: pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa; sanguis missus ut in phlegmasiis apparet: »ibidem morbis symptomaticis attributum et quidem scorbuti aut vitii oris (1) aut vi externa affectum. *Linné* morbis febrilibus Cl. IX. evacuatoriis adnumerat, orisque sanguineam e gingivis cruentationem interpretatur (2). *Sauvages* Cl. IX. fluxus quorum natura persistit in ejectione fluidorum aut contentorum, quae (3) quantitate, qualitate desuetudine notabili, ibidem ord. I. gen. III. stomacace — fluxus sanguinis e gingivis saepius foetidis putridisve. *Sagar* stomacacem Cl. V. fluxis attribuit, quorum character, exitus insolitus cujusvis solidi vel fluidi e corpore ord. I. stomacacem sanguis dissolutus promanat et gingivis laxis sordidis et foetidis sponte vel ad levem harum attactum. Sic de illa morbosa conditione locuti sunt, quam et nos hoc temporis momento, toto coelo diversam a cancro aquatico accepimus; ad quem propius accedit:

Fabricius Hildanus c. a. indole scorbutica hujusque simili constitutione effectum praecipue per universalem calidam humidamque orisque specialem infantum constitutionem productum perscrutatus est. Quae morbi ratio usque ad tempora recentiora ab unoquoque fere admissa, novis et sagacius perpensis casibus dubiosa quidem neque omnino ejus universalis et primaria origo reddita est (4).

(1) Vide: Nosol. Cull. I. p. 228. Lipsiae 1786.

(2) Vide: Carolus a Linné: Genera morborum definita. Upsaliae 1763.

(3) Vide: Fr. Boissier de Sauvages Nosol. method. 1768.

(4) Oper. observ. et curationum medico-chirurgicorum, Frankofurtii 1646. Cent. I. observ. XXX. pag. 28 et 773.

Riverius caput V. lib. VI. praxis medicae. Varios humores morbi causas continere indeque symptomata varia promovere confirmat.

Cornel. van de Voorde ulcerationem ab illo cancri diversam depascentem mali fontem exhibet (1).

Joh. Muys de Arnheim hanc morbi theoriam exposuit: »hujus nempe aegrotuli sanguis a cibo potuque acido et acescente nec non a quartana diuturna, multo quam par est evasit acidior, atque ita non tam alibi substitit, quam inter labium superius et gingivam, quia sanguis et humores ibi facile coagulantur ab aëre frigido per inspirationem admissio, nec non a reliquis cibis inter dentes haerentibus atque mora sua acorem contrahentibus. — Sanguis autem et humores stagnando tandem corrosivi evaserunt et sic fibrillas labii et gingivae non tantum vellicarunt valde, sed earum multas disrupterunt etiam, atque hoc pacto exortum est ulcus altum, cavum, durum dolensque. — Ut autem nigroris mox adducti rationem eo felicius investigemus prius referre libet, non ita pridem me frustulum lintei candidi per microscopium meum conspexisse et singulas fibrillas, ex quibus fila contorta erant, glaciei instar pellucida apparere, sed unumquodque filum ex pellucidis illis fibrillis conflatum album cernebatur, non aliter, ac aqua apparet quidem pellucida sed spuma alba, quae constat ex multis aquae superficiebus sibi invicem superpositis, ut multum aëris interjaceat. Cum autem hoc linteam combusseram, non tantum tota fila sed singulae eorum fibrillae oculo meo microscopio armato colorem nigrum offerebant, quia nimirum pori in linteo a vi ignis valde distorti sunt, et particulae multae sub forma fumi ex linteo avolarunt, sic ut radii solares in poris illis suffocati ad oculum meum non reflecterentur. — Et quod ignis in

(1) *Nieuw lichtende Fackel der Chirurgie*. 1680. Deel. III. p. 538. *Middelburg* 1680.

linteris efficit, hoc particulae acido-corrosivae praestiterunt in ulcere, dum fibrillas disrumpebant, illorumque poros aliter figurabant et mutabant, imo multas particulas ex ulcere sub forma vaporis avolare cogebant, ut manifestum erat ex foetore. — Ut autem multis mirandi causam praeripiam, quod acidum ad nigritiam inducendam concurrere scribam, volo, ut conspiciant, quam bonum atramentum ex decocto gallarum conficiatur cum aceto, in quo limatura chalybis prius infusa fuit; aut saltem malum citreum cultello dissecant, nam tunc mox cultellum egregie nigrescere videbunt. — Sola igitur ulceris graveolentia adhuc enodanda superest, ac ut praedicta comparatio hic loci mihi iterum inserviat, unumquemque olfacere jubeo ingratum odorem qui in combustione lintei nostras nares plerumque ferit, nam quod agit ignis respectu lintei, idem operatur humor acido-corrosivus ulceris respectu, tum salis volatilis (quod magna copia in statu sanitatis continetur in partibus corporis humani, aliorumque animalium, ut destillatio docet), multas particulas corrumpit, illarum figuras immutat, atque ita easdem, solutis vinculis, quibus prius alligabantur, avolare facit, quo tempore cum aëre se miscent, in nares propulsae fibrillas nervorum olfactui inservientium nimio tremore agitant et sic animae graveolentis odoris conceptus exhibetur (1).

Cornelius Stalpard van der Wiel: scorbuto et depravata salivae conditione existunt interdum in infantum labiis ulcera dura dolorifica alta, nigricantia subito proripientia atque vicinas partes depascentia, odoris deterrimi (2).

Stephan Blancard enarrat casum ficis nimis assumptis

(1) Praxis chirurgica rationalis seu observationes chirurgicae secundum solidivae philosophiae fundamenta resolutae. Quinque Decades. Lugd. Batav. 1685. Decas II. obs. 10. p. m. 122 sqq.

(2) Observ. varioꝝ. medico-chirurgic. anatomic. Cent. II, observ. XIII, in scholiis p. 107—109. Lugd. Batv. 1687.

hoc malum exortum esse. Simul notiones nomae sic determinat, ut sit ulcus putridum et depascens in glandulosis oris partibus cum erosione et saepe carie a scorbutica corporis temperie saepe ortum. Stomacace contra scorbuti symptoma, illud ab oris male olentis et putridi vitium cum gingivarum erosionibus et spontaneis haemorrhagiis ex vasculis gingivarum tum et in illis gangraena dicitur.

Saviard morbi naturam per acre scorbuticum illustrandam constituit, unde fieret gingivarum sanguinis fermentatio, quam tabes exciperet (1). *Joannes Dolaus*, *Poupart*, *Gerhard van Swieten* et *Chapart* et *Desault* etiam ad scorbutum confugiunt. *Dzondi* docet cancerum aquaticum in non specifica quadam alteratione persistere, sed in diathesi scorbuticae simili indoli, et in adultis in unaquaque tela cellulosa laxa instructa parte, existere, simili causa modoque enata, hujus inflammatione colliquativa esse manifestare.

Bidloo hydatides, quarum nucleus, vas lymphaticum esse manifestet, verum stomatomalaciae fontem accepit. Hydatidum tunicis sensim sensimque induratis, densatis inflammatione correptis, in ulcus malignum transeunt.

Ch. E. Fischer erisypelas neonatorum et induratio textus cellulosi cum hoc malo comparat vel potius idem per idem esse sibi convincit his argumentis:

a) stomacace idem ac cancer aequaticus valens cum talem conditionem acceperit semper uti jam memorati morbi infantilem aetatem corripit.

b) indoles debilis momentaque alia perniciose ejusdem effectus hoc trigeminum promovent, exanthemata acuta adeo pro causis stomacaces acceptis permagna irritatione debilitatem secum ducunt.

(1) Nouveau d'observations chirurgicales, Paris 1702. obs. 128. p. 556.

c) irritamentum quoddam protrudens attrahensque in his tribus morbis facile detectu. Temperiei mutatio subitanea eo majoris perniciosiorisque momenti, quo jam exanthematibus antegressis partes correptae, corripienti altiore adeptae sint opportunitatem. Alimentum solidum grave concoctu, surditas causae morbi remotae esse possunt.

d) omnia in decursu horum morborum observata symptomata ad erethismum initio, mox autem ad torporem properant atque in eo persistunt.

e) Methodus medendi derivans aut roborans incitamento accepto correspondens felicissimo cum successu observata est.

Existunt plures, qui pro topica affectione malum habent, sicuti exempli gratia *Siebert*, nullis interne adhibitis remediis, cum nullum organismi morbosae vegetationis signum se praeberet, id sustulit. Protracta autem hac morbosa conditione, coaffectio universalis sequitur, indeque status constitutioni scorbuticae haud dissimilis promoveri potest. Idem et *Rey* cognovit, cum infantem satis validum sanaverit, cujus gingiva progressa tantum gangraena affecta exstitit.

Klaatsch scorbutum primariam et solam morbi causam esse experientia edoctus recusat, cum in adultis illo acerrime correptis, hanc destructionem nunquam observaverit neque contra infantibus satis validis cancer aquaticus pepercerit. Non gangraenam sed dissolutionem, decompositionem in substantiam animaleam hanc conditionem gignere. Correptis in partibus, cutis musculos, membranam mucosam, ossa se in gelatinosam massam commutare et deinde defluere similem nisi eundem processum, ac gastromalacia observantia. Transitum subitaneum a mortificato ad vivum celeri decursu se praebere. Lethalem topicam affectionem maxime discrepare a totius organismi conditione. Decompositionem talem organicam in illis tantummodo observare licere organis, quae et

quod attinet ad texturam structuramque similitudinem quandam praebeant sicuti in textura musculari illa tenui ad vicinas organicas fere telas transeunti, cujus elementa primitiva gelatinae et fibrino magis accedant, ceteris aliarum partium musculis. Sed ut comprehendam ejus considerationis argumentum strictis verbis: cum fieri nequeat, ut mali causam inflammationi adscribamus, perturbatione potius vel oppressa nutritione, topica simul destructione et vegetationis recessu organico illam interpretaturi sumus (1). Contra quae *Richter* cancerum aquaticum stomacacem gangraenosam esse et partium affectarum destructionem gangraena effectam, ut et plerique scriptores veteres putavere, his argumentis contendit: Non solum originem morbi docere putat; sed maxime foetidum istum, quem specificum habet odorem, tum salivam copiose profluentem et ipsam putidam eumque tumorem et mox tabem secutam, totum denique morbi cursum. In vulgari quidem minus periculosa stomacace tabem istam nihil esse nisi ulcerationem: natas enim vesiculas et ruptas fieri ulcera rotunda, ardentia, haud dissimilia ulceribus syphiliticis, in superficie stirpantia. Sed in hac stomacaces specie, de qua disputat, aliam esse tabis vim: celeriter enim aut in gangraenam mutari quae est altior ulcerationis gradus, aut etiam in sphacelum, quo nulla substantiae exsugillatio vel disjunctio chemica efficitur. Fieri igitur mollium partium destructionem ulcere aut gangraenoso aut sphaceloso. Illius quidem expressum percipi posse characterem, si cancer aquaticus vel in angulo oris vel in superficie labii nascente vesicula oritur: sphacelum autem facile cognosci posse, si primus macula rubra morbi nuntius adsit, dein rubor in livorem vel ad colorem plumbi vel cineris simulationem mutetur, tum vero si eodem tempore simul omnes

(1) Carl Gustav Hesse über die Erweichung der Gewebe und Organe des menschl. Körpers. Leipzig 1827. S. 166—172.

malae partes atterantur. Ulcerum gangraenosorum saepe simul alia sicca alia humida esse: aliae enim partes cum lividi sint coloris alias indurescentes colore inter nigrum et fuscum variare: quas partes et jam *Berthium* observasse et ipsum vidisse ab infantibus particulatim per digitos decerpi. Sed ne singula ejus argumenta omittam ad quae refutanda *Wiegandius*, uti infra exposuimus, adniscus est in specie jam allaturus sum; stomacaces nimirum speciem malum accipiendum.

1) Primum quod odor deterrimus adest per totum ipsius morbi tempus perdurans; circumstantibus vix tolerabilis. Hoc enim symptoma in nulla malaciae specie neque adhuc observatum est neque vero omnino gigni potest, quoniam malacia non chemicam materiae vivae disjunctionem, sed regressum tantum ad minus perfectam vitae formationem, continet. Profecto aëris atmosphaerici ad partem mollitam accessus istius graveolentiae non idonea et sufficiens causa est. Aëris enim vis agendi longe imbecillior.

2) Tumor deinde inflammatorius asthenicus, ab artis medendi cultoribus peritissimis index certissimus morbi appropinquantis acceptus. Qui si postea oriretur, quam destructio partium initium cepisset, sane possemus fidem habere *Hessio*, qui illum tumorem conamen naturae esse interpretatur ad cavendum destructioni. At saepe complures dies destructionis initium praecedit. Ceterum malacia gelatinosa excipi inflammationem, neque demonstratum et valde dubitandum est. Denique semper malaciam gelatinosam sequitur aut regeneratio aut substantiae per ulcerationem gangraenamve destructio.

3) Tum ipsa partium destructionem subeuntium argumento est qualitas physica. Symptomatum enim in diagnosi exhibitorum character tam perspicax est, ut non liceat alio processu et praecipue malacia praesumpta, ea interpretari. Si vero cutem et musculos et tunicam mucosam in substantiam homogenam, gelatinae similem, mutata esse, eamque peniculo detersam quasi in fila-

menta dissolutam *Klaatsch* observavit: has particulas nihil aliud esse nisi telum cellulare demortuum posse iudico, sane simile gelatinae. Haec enim similitudo causa est, qua eam gangraenam quae cadere solet in partes valde debilitatas et laxas, antegressa valde asthenica inflammatione gangraenam albam appellare solemus. Stomachorum aliquorum mollitorum quos vidi substantia fuit pellucida discolor sibi aequalis, gelatinae consimilis, quae nullum praebuit inflammationis vel alicujus processus degenerationis vel destructionis vestigium.

4) Deinde quod maxillae mandibulaeque necrosis adesse solet, qua saepe fit, ut magnae harum partes simul cum dentibus perdantur. Cujus rei non aliam invenire possumus causam nisi quod et ipsa ossa gangraena corrumpuntur. Quod si processus destructionis canceri aquatici, malacia esset gelatinosa, etiam ossa eodem processu mollescerent.

5) Postremum linea demarcationis i. e. ruber iste et inflammatus circulus, demortuas partes circumducens, qui solummodo in gangraena adhuc observatus est (1).

Quibus quae *Wiegandius* respondet secundum argumentorum quae retulimus numerum quinque partibus disputationis ordinatis exponamus:

ad 1) In malacia nunquam foetorem observatum esse minime constat, et multo minus hoc symptoma ne gigni quidem posse certum est. Sane plerumque, qui a stomacace gangraenam dignoscere volunt eo adjuvantur, quod vel adesse vel deesse foetorem vident: revera enim plerisque casibus per malaciam odor non mutatur. Tamen in nonnullis malaciae speciebus odorem foetidum putridum observatum esse docet vir de hujus morborum generis scientia summe promeritus *C. G. Hesse*. Quos casus, quia proxime tangunt gangraenam, cavendum est,

(1) *Der Wasserkrebs der Kinder*, Dr. A. L. Richter. Berlin 1828. p. 47 sqq.

ne, si minus ceteros characteres attente observemus, temere gangraenae attribuamus. Quae cum ita sint, patet ea, quae hodie scimus de malaciis, quod attinet ad odorem, ad regulam generalem eamque certam profitendam non sufficere. — Ceterum quae observata sunt in cancro aquatico nascente, parum recte multis nota videntur. Sane (sicut fere in plerisque oris morbis accedit, etiamsi nulla dissolutio chemica adsit) et ab initio fere gignitur graveolentia: tamen haec in specificum istum odorem non ante crescit, quam post ortam malaciam salivae tabidae ad substantiam mollitam accessu, jam degeneratio putrescens prolicitur. Qua in re, num vere ita minutum sit aëris atmosphaerici, depravati praesertim, adjuvamentum, ut *A. L. Richtero* videtur, propensus sum ad dubitandum. — Quod vero malaciam regressum materiae vivae ad minus perfectam vitae conformationem contineri *R.* dicit: profecto hac interpretatione nullo modo doctiores fimus. Ceterum plane nulla novae mollitarum partium formationis et pristinae intercedit similitudo. Denique, quae similia sint isti organisationis destructioni, quam in particulis malacia attritis animadvertimus, ne in imperfectioribus quidem vitae formationibus reperiuntur.

ad 2) Destructioni inflammationem antecedere posse certum est. Neque *Hessio* assentior qui illam conamem naturae esse putat ad sanitatem restituendam. Potius inflammatio malaciae, malaciae degenerationis putrescentis prodromus intelligenda est. — Quod si malaciam gelatinosam posse inflammationem excipere *R.* dubitat, hoc loco, ne argumentando in alia omnia aberrem, tantum moneo a viris doctis, praesertim gallicis, in cerebri malacia observatorum, tum vero provoco auctoritatem *Hessii*, qui hac de re multa egregia docuit. Ceterum rem ipsam accuratius probare canceri aquatici naturam explicaturus in animo habeo.

ad 3) Partium destructarum species potius nostrae sententiae assentitur. Cernuntur enim partes mollitae

transmutatae in massam homogenam, in qua cutis, musculi, denique tunica mucosa, gingiva, periosteum, iam non dignosci possunt. Neque haec concretio ex particulis telae cellularis demortuis similem gelatinae speciem afferentibus potest consistere. Continet enim ista concretio, ut et *Klaatsch* et alii saepe observarunt, totum partium attritarum ambitum: sunt omnia tela penitus fusa atque concreta; sicut in gangraena multo rarius observatur. — Cum gangraena vero alba, quam *Quesnay* describit, nullam habet cancer aquaticus similitudinem. Ista enim nihil est nisi gangraena sicca, qua cutis corio similis facta, naturalem retinuit colorem et velut cutis decrepitorum palluit. — Sed etiam in ulcere inflammatorio inest, quod *R.* sententiae adversetur. Neque enim illud sicut ulcera gangraenosa in tumores flaccidos et spongiosos et aëre putrido repletos transformatur, sed etiam post malaciae ingressum durum permanet, donec et ipsum destruat.

ad 4) Ossa in cancro aquatico molliri, observationes *Baron*, *Isnard* *Cevoules* nec non *Hesse* demonstrant. Ipse *R.* cum tertium ab eo curatorum aegrotorum obducens, alveolos jam dentibus orbatos marcidos se invenisse diceret, videtur nostrae sententiae auctor additus. Iste enim marcor qualis est? certo inferior gradus malaciae multo potius, quam necrosis, quae magis plana duraque et laevia ossa solet reddere. Ceterum nihil obstat, quominus cum partium mollium malacia ossium simul necrosin existere posse concedamus, cum lamella externa tum aëris accessui destructione periostei exponatur, tum et salivae tabidae neque nunquam acrium remediorum impetum sustinere debeat. — Ante igitur quam hac de re classicum ferri possit iudicium, vel maximum erit opus, ut qualis sit morbi in ossibus processus accuratius investigetur.

ad 5) Inflammatio et ipse ambitus destructarum partium, circulo modo latiore modo angustiore comprehen-

sus, cujus rubor sensim in colorem faciei temperaturam nihil est nisi ejus inflammationis quae destructionem et antecessit et genuit continuatio. Haec pari semper gradu atque destructio ipsa progreditur. Particulas finitimas ad mox sequentem malaciam praeparare videtur: ut aequum usque locum inflammatio propagetur, eodem pro-ruram destructionem, paene certum praesagium detur — Sed simul atque destruendi processus inhibitus est, sanior vegetatio resurgit. Tum in inflammato illo ambitu, paulatim decrescente, nova gignitur prope partes mortuas inflammatio, novae vitae nuntius, aspectum offerens lineae rubrae, sane similis istius, quam in gangraena quidem optime novimus, vocatam lineam demarcationis. — Sed hanc lineam ut nisi in gangraena non posse se ostendere alibi concedam, vix inducar. Quis enim? num aliam novimus naturae viam, qua pergas regeneratura partes perditas, nisi eam qua semper procedere deletarum partium regeneratricem observavimus. Resuscitata igitur vi vitali, inflammationem sanantem oriri, nulla mirandi causa est (1). —

Sed jam sufficient haec relata quoad ad propositum nostrum attinent et dijudicaturus quisque in quam sententiam persistendum sit, aut in scorbuto ejusque simili et aucta conditione, aut in gangraena specifica vel antegressa inflammatione vel infiltrationem vel ex oris cavitate exoriunda; aut denique in partium affectarum malacia. Praestantissima judicia sola ratione attuli, cum eo facilius, nullis interjectis adnotationibus distorta, consideranti patefaciant, quo se vertat. Auctoritas et doctrina variarum opinionum adjuta experientia, majus autem addeptae sunt momentum, quin sine cunctatione hanc vel alteram secuturi possimus. Exempla inter se non discrepant et convictione, refutatione egent; et sine dubio eo maturius veram hujus morbi interpretationem exspe-

(1) Der Wasserkrebs v. J. Wiegand, Erlangen 1830 pag. 125 sqq.

actare possumus, quo ut hic in iis, nimirum exemplis perscrutandis, principatus quidem iudicii praevaluerit, unde jam saepius accidit, ut oppressa et neglecta sint quae sui juris se manifestaverint.

PARS SPECIALIS.

HISTORIA MORBI.

J. Balster, tres annos novemque menses natus, pneumonia excepta, qua duobus et dimidio anno ante correptus et mox sanatus, nullis momenti gravioris morbis affectus, valetudine optata semper gavisus est. Diathesin scrophulosam autem adesse, abdomen semper tensus, valvi obstructio vicissim diarrhoeam excipiens, ciborum solidorum appetitus tali constitutioni gratorum, facies paulo obtusa, ceteroque habitui correspondens — confirmatur. Die IXX. m. Maji primo, puer antea hilarem, hadeo lascivum se gerens, debilis, somniculosus, tristis morosusque repentino exstitit. Apepsia, febris, tussis, sicuti capitis dolor permanens non defuerunt. Cum haec molestiae semper increvissent, pater medicum arcessivit, qui emeticum praescripsit, vomitus sedesque iteratas sic quidem efficiens neque ullam morbi sublevationem adipiscens. Tali conditione angusta usque ad diem XXIV. aegrotus versatus est, quo die cum hydrops ventriculorum cerebri timeretur, Calomel et hb. digital. purpur. continuo usque ad diem I. m. Junii porrecta, prioris jam aegr. XL. assumpta inveni. Conditio aegroti in dies deterior reddita est. Salivatio nimia, odor ex ore specificus, aucta febris sudori profuso conjuncta — ptyalismum vehementissimum, nisi jam prius affuit, nunc quidem manifesto aegrotum vexare ejusque vires consumere — neminem effugit. Tempore hujus diei matutino, linguam gingivamque, internas partes mandibulae atque maxillae colore nigro obductas esse medicus cognovit et emeticum e tartar. stibiat. cum radic. Ipecac. sicuti gargaris-

mum e Borac. Mixtur. sulphuric. acid. Aq. Ros. Syru-
 poque compositum administravit. Die sequente, II. ni-
 mirum m. Jun. se linguae tegumentum nigrum dissolvit,
 fossiculasque rubras ibidem reliquit cum aequali gingi-
 vae internae decorticatione et transitu ejusdem conditio-
 nis ad externam oris interni magnam partem exstitit.
 Status universus tam tristis gemitu misero perpetuo ae-
 groti, nulla praeterea loquendi et devorandi, fluidis ex-
 ceptis, facultate comitatus, ita ut subitaneus lethalis ex-
 itus exspectaretur. Interne nunc accepit guttas e liquor.
 c. c. succ., liquor. amar. anisat. et tinctur. castor.; prae-
 terea gargarismum e Jodii, Kali hydrojod. cum Aq. Sal-
 viae sicuti externe balnea, quibus acid. muriatic. immix-
 tum fuit. Genae deinde tantopere diebus paucis praeter-
 lapsis intumuerunt, ut oculos aperire puer nequiret. In-
 tumescentia tensa, nitida, rubicunda ad colorem flaveum
 simul superstringens et sordescens, magis frigida, quam
 calida tactu. Die III. m. Junii gingiva sanguine madere
 incepit et per horas XLVIII ejus copia fusca inter
 dentes et labium inferius se collegit. Assidue gargaris-
 mum supra memoratum adhibuerunt; interne nihil por-
 rectum est usque ad diem VII, quo medico alteri ae-
 grotum parentes curandum tradiderunt. Hic puerum
 somniculosum, oculis clausis, facie intumefacta, aequum,
 non satis sibi conscium, iis quae circa eum acta sunt ne
 tanti quidem motum, invenit. Ore plane aperto odorem
 putridum emisit — labia livide fuscantur, gingiva subli-
 vida a dentibus dissoluta interdum cruenta, exulcerans;
 dentes ipsi fusci vacillantes, tota praeterea interna su-
 perficies genarum, linguae fauciumque livida rubella, lo-
 cis singulis acute determinatis exulcerantibus occupata.
 Horis matutinis febris vehemens per diem remissionem
 et vespere exacerbationem calore permagno excitavit.
 Interne Jodium administratum et cum Boracis solutione
 gargarizare jussum est. Puer, his remediis adhibitis
 manifesto se recreavit et ex apathia priori permanente

experrectus est, in lecto resurrexit, periculum loquendi
 suscepit, adeo ciborum desiderium pronuntiavit. Diebus
 duobus autem praeterlapsis ob nimiam Jodii incitatio-
 nem medicus ad methodum leniter sensim sensimque
 alienantem et refrigerantem transiit. Die X. m. Junii
 macula cinerea primo magnitudinem grossi argentei ad-
 piscens haud procul ab angulo oris sinistro animadver-
 titur, celeriter increscens badia subsusca mox nigra die
 XII. mane irruit a cute supertegente separata, ulcus
 sphaceloidum constituens ad nasi alas et oculi internum
 angulum rapide progrediens, cutem partesque infra ja-
 centes destruens; in fundo ab initio color partium rubuit e-
 nigro et hic et illic, supra nimirum pari modo liquescens.
 Intumescencia malae affectae simul ita demersit, ut ocu-
 lum sinistrum libere aperire aegrotus possit. Medendi
 methodus in remediis refrigerantibus et gargarismo aro-
 matico perstitit. Exulceratio ipsa cum unguento e Te-
 rebinth. et albumine confecto adligatur, postremo autem
 cum calcis chlorat. solutione. Die XV. c. m. vespertine
 ad angulum oris dextrum similis macula iisdem symptomatis
 eodemque progressu apparuit et usque ad diem XVI. in
 meridiem angulo oris diruto, tumor et hujus malae effu-
 git, quo videndi eadem facultas secuta est. Tali rerum
 statu permanente et progrediente die XVIII. puer ad
 nosocomium Caritatis deportatus die vigesimo hanc no-
 bis morbi effigiem praebuit: aegrotus permagno marci-
 dus, cutis mollis, paululum rigida, laxa, immundo colore,
 temperiei fere normalis; abdomen non tensum, rugosum;
 pulsus frequens parvus facile compressu, irregularis; fa-
 cies pallida, obtusa, oculi languidi, fessi, turbide conni-
 ventes, pupilla minus amplificata mobilis, nasus a radice
 in utramque partem applanatus; labium superius cras-
 sum exaggeratum duritiem quandam lignosam tactui prae-
 bens, languide pallum intus crusta flava obductum.
 Eundem fere aspectum labium inferius, tenuius autem
 profert. Ab angulo oris dextro in malam vergens se

extendit ulcus sphacelosum irregularis formae 3''' sub
 nasi ala dextra incipiens oblique, super oris angulo sub-
 tus posteriusque $\frac{1}{2}$ '' , super maxillae margine inferiori se
 extendens. Diametrus transversalis a labio usque ad
 aurem 1'' 1''' ; longitudinalis $1\frac{3}{4}$ '' occupat. Ulceris mar-
 gines irruti aequè abscissi, singulis locis corrosi subduri;
 cutis amplo circuitu a partibus subtus sitis in materiam
 sphacelosam e glauco nigricantem permutatis, dissoluta;
 in fundo, dens molaris superior niger nutans ater adest.
 Ambitus perdurus non dolorificus calore non aucto, co-
 lore a normali minus discrepante rubescens aliquantulum
 e gilvo non nitido uti in partibus affectis, quasi pigmento
 oleato obductis. Simile fere idem ulcus sphacelosum in
 mala sinistra videmus, a coaffecta nasi sinistra parte $\frac{1}{2}$ '' ,
 sub interno oculi angulo incipiens et in ovali forma po-
 sterius et subtus 2''' , post et praeter angulum oris non-
 dum perforatum, maxillam adipiscens. Diametrus maxima
 longitudinalis $1\frac{1}{4}$ '' comprehendit. Nisi majorem his in
 locis quam in alteris altius et latius corrodentem dele-
 tionem animadvertimus, differentia nulla inter utramque
 genam correptam se manifestat. Specillo sub soluta cute
 inducto facile usque ad internum oculi angulum perve-
 nimus; mandibula ejusque dens primus molaris sicuti
 dens inscisivus a periosteo nudatos, e glauco nigricantes
 se offerunt. Ambitus idem ac supra jam descriptus.
 Utraque ulcera ne vestigium quidem vitalis cujusdam
 reactionis, quae in mortificatione perfecta modo partium
 putrida et ad ossa penetrante, properante, persistunt, idem-
 que judicium de humore parce apparente ferendum —
 sanies ichor — quibus nulla plastica materia prorsus
 inest. Odor specificus acer, putridus, cadaverosus jam e
 longinquo aërem deterrime inficiens. Quoad internam
 partium conditionem investigare possumus, genarum pa-
 rietes sphacelosas, gingivam exulceratam, dentes atros
 conniventes, utrosque inscisivos inferiores jam elapsos,
 linguam sordidam, helvolam siccam cognovimus. Tus-

sicula promanente sanie in fauces sine dubio excitata, brevis, rauca atque molesta, quam opprimere, uti videtur, puer studet, cum respirationem offendit, simulque anxietatem quandam efficit. Utrum magno dolore aegrotus vexatus sit an minus difficile dijudicatu, illis partibus dirutis quibus consueti sumus faciei effectum et vim promotam videre. Ex oculorum visu fere semper eodem, aequo, non moto, sicuti ex decubitu lasso, raro, mutato, certi quiddam divinare nequimus. Attamen omnino indolentem sibi que non conscium hac tristi conditione eum versari, idcirco negarem, cum vidi cito motum et contremetum, cum recens linteum carptum si impositum sit — quo facto statim pristinam quietem recepit. Praeterea etiam labii inferioris continua detractio et attractio tensionem quandam dolorificam proderent. Quamvis prognosis jam refugit ad celerem exitum lethalem sine successus felicitatis spe, administrata sunt, interne: tinct. ferri muriatic. bihorio gtt. V. et praeterea emeticum bis quotidie porrigendum; externe: ulcerum adlinatio cum acid. sulphuric. conc. et impositio lintei carpti cum solutione calcis chloreti rigati. Vespere. Status universus fere idem, inquietas aucta, capitis jactatio. Ulcerum aspectus immutatus; labium superius autem violaceo colore striatum visu. Die XXI. Labium superius totum nigricans tabescit, ulcerum superficies fere sicca; dentes duo elapsi sunt. Pulsus in brachio raro tactu, parvus, debilis, irregularis apparet; in arteria crurali intermittens et interdum intercurrens, per horae sexagesimam partem inter numerum CXL et CL, persistit. Tussicula crebrior. Sedes per ultimas XXIV. horas praeterlapsas non affuerunt. Deglutitio paulo impedita. Sanandi periculis remotis ad vires sustentandas, ad molestias sublevandas studium adhibuimus, et, quod Graeci *εὐδυνασίου* vocant, postremo curavimus. Quem ad finem jus carnis cum ovi vitellis pro potu et climate, sicuti Opii gr. $\frac{1}{4}$ pro dosi praescriptum est. Externe consueta solutio remanet.

Die XXII. Cum hesterno die hora tertia post meridiem, et hora deinde octava audita pulveres duos assumsisset, nocte tranquilliore gaudebat, tussicula rariore interdum tamen perturbata. Praesenti temporis momento oculi fessi nubili mucō obducti apparent; in jam frigidis brachiis pulsus non animadvertitur. Labium superius sphacelosum siccum corrugatur; inferius labium semper obtusum durum helvum, pro motu illo priori continuo, immobile nunc prominet. Utrumque ulcus siccum, auctum, margine eodem fere immutato determinatur; partes in imo sitae manifesto evanescent, sine ullo residuo tabescunt. Os jam ita nudatum, ut in latere sinistro processus zygomatici maxillae superioris partem aspicere liceat, sicuti dens molaris tertius et quartus non minus reteguntur. Sic amplius os apertum, linguam siccam fuscam non exulceratam, palati duri membranam pituitariam, cujus media pars non correpta helva ad dentium alveolos contra vergentem sphacelosum singulis locis exaggeratam, ostendit. Rigor atque frigus primo in extremitatibus percipienda sensim sensimque aucta progressa sunt, et hora V. post meridiem leniter sic infelix sine mortis dolore solutus transiit. —

Visum repertum duce Cel. Prof. *Froriep* illustratum. Aperto cranio ex arachnoideae sacco humoris serosi ℥ij profluerunt. Exsudationis aquosae vestigia et inter arachnoideam haud turbatam et piam matrem inveniuntur. Substantia cerebri ipsius et quod attinet ad consistentiam et colorem normalis. In ventriculis nulla humoris collectio inopinata cognoscitur. De organis pectoris induratio quaedam hepatisationi haud dissimilis, tubercula multa parva concludens, lobi inferioris utriusque pulmonis, pseudomembranis cum diaphragmate concreti refertur. Mutationis pathologicae abdominis organa nihil ediderunt, exceptis glandulis meseraicis, tumidis neque tuberculosis. Quantum faciei spatium a margine maxillae inferiori retro usque ad ramum ejus

ascendentem utriusque lateris sursum autem usque ad tempora, os zygomaticum et marginem maxillae infra-orbitalem se extendens videmus, omnes partes, cute ex parte nondum tabida tectas, textura cellulosa, musculi, membrana mucosa, periosteum, vasa nervique in homogenam quandam e glauco nigricantem mollitam, illitamque massam mutatas invenimus. Ossa ipsa cana ad alveolos limbo cano circumdantur. Dentium plurimos jam elapsos ceteros solutos vidimus. Sub masseteribus sphacelosis in medio disruptis, textura organica omnino normalis apparuit; transitus quidam a mortificato ad sanum sensim productus, non detegendus, adeo ne inflammationis quidem vestigium observandum. Glandula parotis et submaxillaris normales adsunt; in latere dextro supra maxillarem, dum glandulae lymphaticae cinereae, quasi lapidescuntur. Si arteriam maxillarem externam usque ad locum affectum persequimur, nihil memoratu dignum detegimus; nervi facialis contra ramus inferior nudatus haud procul a fine loci correpti manifesto laxatus flaveus existit. In oris cavitate eadem conditione alveoli adversi versantur, aequalem de partibus externis jam supra retulimus. Lingua arida, sicca, fusca, non exulcerata in superficie, in utraque parte oblongo ulcere, languide flavo, colore nigro immixto, occupata fuit. Membrani duri palati, mucosa in ejus media parte inviolata, ad alveolos autem sphacelosa, permansit. Arcus glosso-palatinus in latere sinistro perforatus, utraque tonsilla e glauco nigricans non tumefacta. Aquae in arteriam maxillarem externam sinistram injectae, quantitas exigua ad linguae radicem in oris cavitatem sensim permanat, per ceteras autem sphacelosas partes peragi nequit. Cum per microscopium partem quandam affectam Prof. Cel. *Froriep* pervestigaret, et musculorum et nervorum fibrillas in acinos non certa quadam forma constitutos, transeuntes ubique humore gelatinae simili exceptos cognovit.

Et iis qui in hac vel altera parte contradicturi sunt,

multa hac in historia morbi tradita obstant, quin nexum totumque decursum in suam sententiam vertere possint. Diathesis scrophulosa per totum corporis habitum, crines flavos, cilia longa, oculos caeruleos etc. manifesta est. Cubiculus humidus, immunditas qua versatus est puer, et in eo, sicuti in aliis hoc malo correptis individuis, causam notam occasionalem secum duxerunt, et momenti nocentibus, viresque infantis constitutionem debilitantibus, adscribenda sunt. Huc accessit morbus antecedens, ad quem removendum remedia in auxilium vocata sunt, de quibus crebra jam experientia doctorum constat, tali conditione ea cancrum aquaticum efficere posse. Quod jam ad morbum progressum vel simul organismum vexantem attinet, et Cel. *Barez* confirmavit, se nunquam cancrum aquaticum observasse, nisi et ei praegressis modo morbis, et ad hos effugiendos Calomelane praescripto. Et Cel. *Rust* in femina adulta, abusu unguenti hydrargyri cinerei cancrum aquaticum natum observavit. *S. W. Moore* idem eadem conditione in puella cognoscit et Cel. *Dieffenbach* docet, hydrargyri abusu destructiones tales gangraenosas in infantibus existere. Casum memorabilem idem demonstrantem ne omittam: puella undecim annos nata a trachitide oppressa calomelanos gr. VIII. per XXIV. horas assumsit. Salivatio acerrima secuta est cum inflammatione et oris exulceratione faciei que et colli intumescencia — die IV. ad utrumque oris angulum, parva subito proripientia depascentia vicinas partes ulcera, deterrimi odoris se praebuerunt. Et ne palatino quidem ulceratio pepercit, omnia medendi pericula irrita reddita sunt, ita ut die VIII., inde a quo primo Calomel porrectum est, interiret (1). Eodem tempore similem affectionem medicus alius reperit, inunctione capitis cum unguent. hydrargyr. cinerei $\frac{3}{4}$ instituta; detractio autem sangui-

(1) Dublin Hospital. Reports and Communications in medicine and surgery. Vol. IV.

nis iterata loculi coarctam. — *Luning* ob hydrocephali acuti insultum Calomel magna dosi continuo porrexit, quo facto malum exortum est mortemque afflicto conscivit. Non modo ergo promoveri posse usu atque abusu hydrargyri, cetera nimirum idonea indole, cancerum aquaticum, sed revera promoveri et nostro casu reliquisque adjectis demonstratum videtur. Ubinam primo exordium capiat res non porro dubiosa versatur — nimirum in parte musculari nucleus quidam existit, quo prorupto, tunica mucosa, deinde notis symptomatis afficitur et destructionem sequentem edit. Hoc et *Cel. Barez* et jam *Isnard Cevoule* contendit, se nunquam nempe deletioris initium a gingivis observasse, sed semper a parte labii aut malae interna incepisse et tum ad vicinas se propagantem. Quod illum nucleum non prius jam animadverterint scriptores, neglecta exploratione in loco affecto interpretandum, cum plerumque maculae notae lamellis cinereis supertectae mentionem fecerint, quae veram mali conditionem eos suspicari jam coegit. Et ante omnes adhuc *Baronii* recordaturus sum ejusque experientiae, considerationis capitum hoc de morbo cum singula et primaria simul exhibeat momenta illis ab aliis nobis traditis non discrepantia: hoc infantum praecipue specificum malum nunquam primarium observavit; incolas regionum humidarum plane sitarum imprimis adgreditur praegressis exanthematibus, acutus quorum decursus interruptus et impeditus fuit debilitatemque universalem progenuit, aut febribus pituitosis, gastricis, intermittibus scrophulosa vel scorbutica aegrotorum constitutione repertis. Symptomatum expositio jam illa nota. Ea quae morbum comitantur semper secundaria, pulsus plerumque parvus, frequens, respiratio paulo impedita; excretionis et digestionis organa raro perturbata, quamvis diarrhoea saepissime adest; systematis nervosi status varius, musculorum vis prostrata, raro excitata cognoscitur. Macula exorta inter diem tertium

et octavum mors vulgo intercedit, cum difficillime contingat, ut destructio inhibeatur, quam ipsam ingenuinam quandam rapidam gangraenam et »érosion gangréneuse des joues« et cancrum aquaticum nominandum interpretatur. Infantilis aetatis, aquosa lymphatica dispositio, sicuti humor, quo cavitatis oris ulcera semper circumdantur, pro mali praecipuo fonte accipit (1). Quamvis et symptomatum et causarum occasionalium permagna adest copia et varietas, quae exponenda proposito nostro displicent, arctiore termino descripto, haec tantummodo momenta ad hujus morbi diagnosis confirmandam moniturus sum: cancer aquaticus in una semper a principio persistit parte et quidem musculari, indurationis cujusdam instar, maculam deinde jam descriptam constituens, qua perfecta, destructio celerrimo progressu totam vicinitatem, mollitam, putridam, cadaverosam absumit et imprimis in profundum vergens, grassatur. Odor acrior circumstantibus intolerabilis ab illo gangraenae differt, difficillime dictu, quid ei specifici insit, quamquam unusquisque novum et alienum quodquam olfactu percepisse intelligit. Saliva profusa secretionem in cancro aquatico secreta, ichorosa, deterrimi odoris, non spissa, acidae venenosae conditionis se affert. Indolentia loci affecti certissimum huic nullam vitae vim porro inesse signum. Intumescencia ligni duritiem ostendens, sicuti coloratio, cujus rubor a gilvo usque ad nigritiam sensim sensimque temperatur, prodromis mali exoriundi adnumerandae et priusquam pars totum sibi innatum colorem et calorem perdiderit, haec durities permanet. Morbus denique endemicus, aëris atque terrae situ et conditione promotus, raro epidemicus, plerumque sporadicus existit. Febris postremo quae decursum totum cancri aquatici comitatur, gravioris momenti, quam crediderunt scriptores. Sunt qui nullam adesse dicant,

(1) Leroux Journal de médecine, Tom. XXXVI. 1816, Bulletin de la faculté Nr. 6 et 7.

sunt, qui levem notatu non dignam aut secundariam tantummodo eam interpretati sint. Jam a priori doctis sententia accidere debuisset naturam in hoc sicuti in alio morbo consuetam et justam non omnino deserturam esse viam, etsi vi et morbi indole alienatam, neque talem inauditam. Ubi stimulus ibi affluxus — reactio organismi in perceptum perniciosum momentum talis semper se praebet, qualem conditio totius processus se manifestare concedit, quare in initio ejus potestas reagendi et sic sanandi maxima et aucto imperio pathologici momenti — prostrato ergo naturae conamine salutari — symptomata confirmant hujus vires lethali quodam principio esse prostratas. Nostro in casu, quo simul cerebrum affectum fuit, systema nervosum non minoris momenti in reactione instruenda et perficienda existere, jam per se patet. Quare et ad remedia interne ad hunc finem adipiscendum idonea, porrigenda et nunquam negligenda medicos jussos esse, censeo. — Jam videamus cancri aquatici species, quarum *Lumming* tres diagnoscit; prima, quae infantes mammis adhuc porrectis alitos, aetatem mensium XX. non adeptos corripit, praecipue gingivam; altera, debiles, cachecticos, quorum organa digestionis perturbata sunt, infantes XX. mensium usque ad anni septimi aetatem deprehendit, non minus a gingiva exoriens ad ceteras partes deinde progrediens. — *Saviard* contra refert, lac maternum in cancri aquatici affectionem munimentum quoddam se manifestare videri, cum semel tantummodo quinto mense post depulsionem a mamma idem observaverit et exceptis *Fischer* et *Billard* alter individuum novem menses autem correptum; hic adeo novem duodecim, et triginta dies natos, correptos viderunt neque autem nos certiores fecerunt, utrum lactentes fuerint an minus, fere omnes consentiunt, se nunquam tali conditione, nimirum lactatione versatos deprehensos observasse; — tertia species

ab initio in labiis et genis praecipue persistit. *A. L. Richter* etiam tres morbi formas constituit, quae neque ad aetatem neque ad locum affectum refugiunt, et praeter quas novas constituere nec liceat nec prosit, cum unusquisque casus observatus huic vel alteri speciei attribuendus sit, nullusque in medio ut ita dicam relictus, propriam novam sedem quaerat: a) cancer aquaticus scorbuticus, qui creberrime occurrit, endemicus in hospitibus infantum expositorum, sicuti epidemicus in regionibus maritimis observatus. Apparet praegressis illis momentis vegetationem organismi debilitantibus. Semper a gingiva incipit. b) Cancer aquaticus gastricus, cujus prodromi ad statum gastricum spectant, minus, quam in scorbutico affectionem universalem simulans, ita ut vulgo exorto demum malo, vera morbi natura eluceat, aut ab angulo oris, aut ab interna malae parte incipiens. Symptomatis hujus speciei vehementioribus autem nulla differentia fere ab illo invenitur. c) Cancer aquaticus metastaticus, exanthemata acuta praegressa aut quorum decursus impeditus, oppressus, aut si omnino regularia se manifestarunt, sicuti post febres remittentes et intermittentes. Occupat partes oris molles, parvo duro profundo indolente tumore insignis, in cujus superficie inflammatio cognoscitur, neque tunica mucosa correspondente in loco non nigrescere inceptit. Diebus tribus aut duobus praeterlapsis, intumescencia jam aucta durior, rubra, interna malae pars gangraenescit. Foetor et exacerbationes in vesperum non desunt. Excipiunt deinde hunc statum symptomata nota, quae tabem erumpentem et introducunt et comitantur.

Utrum per contagium cancer aquaticus se propaget, an minus, adhuc non confirmatum est — quamvis plerique talem translationem, sicuti *Gabriel Lund*, qui etiam topicam solam affectionem rejicit et humoribus contra depravatis natum determinat. *Siebert* non dubi-

tat, quin inficeret, quam sententiam exemplis datis confirmare attamen nequit (1).

Sed quaenam est conditio in nostro casu hydrocephali simul apparentis? utrum nulla sit utriusque mali conjunctio et nexus inveniendus an prorsus omnino momenti perniciosus occasionalibus adnumerandus, ut vulgo fieri solet? Dubito quin ita se habeat res, et ausurus sum simili conditioni simili atque usitata jam ratione hujus conjunctionis statum pervestigare. Hydrocephalum cancrum aquaticum excepisse, quomodo tali rerum conditione atque progressu elucet, mirabile non visu. Utrumque morbum iisdem naturae legibus adscriptum videre licet, si utriusque ingenuinam indolem conditionemque et ut ita dicam ideopathicam — qua nunquam carere potest neque caret, si hydrocephalum, si cancrum aquaticum adesse cognovimus. Sed jam videamus qualia sint illa momenta utrique morbo communia; eorum quasi radices quibus inhaereant a) physiologiae parti I) systema nervosum permagno affectum et alienatum demonstratur, symptomatum periodico quodam typo intermittente. Exacerbationes in vesperum — remissiones per diem animadvertuntur. Deinde inclinatio insignis ad paralytin aut nervorum vi et energia prostrata excitatam aut si in organismo systema sanguiferum praevallet, hujus nimirum affectione, quo fit ut, sicuti in praesenti casu gangraena, sphacelus existat. — Reactio universalis magnam excitat virium omnium procellam sed fugacem non perdurantem efficacemque. Stupor, torpor, debilitas ingens et lassitudo universalis permagna apparet. — Nisi cyclum certum observare, quodnam nisi systema nervosum hunc occupare posset et stadia tria sic constituta non difficile acceptu, nimirum

α) stadium irritationis,

β) stadium secretionis organorumque metamorphosis,

(1) Hufelands Journal d. praktisch. Heilkunde. Bd. XXXII. sechstes Heft. Dec. S. 74—94.

1) stadium paralyseos sive si prosper existit eventus, criseos.

2) Systema sanguiferum. Sanguinis arteriosi motus acceleratus, procellosus, nulli autem arteriarum mutationi proclinans neque novos earum ramos promovens. Venarum contra vasa praevalent, turgescences arteriarum impetum exaequant, unde color coerulens, lividus externarum partium respicitur. Sanguinis qualitas mutata, celeriter coagulatur, dum ejus superficies mox rubescit, interne autem niger permanet — crustae inflammatoriae ne unquam quidem vestigium apparet. Productum secretionis, organis secernentibus nimirum correptis omnino mutatum, a normali qualitate, valde discrepans. Ad deprehensum organon confugit totus sanguinis fluxus unde temperies partium ceterarum diminuta et in universo dispartita; collapsus et conditio harum exsanguis eodem ex fonte derivanda.

2) Anatomia pathologica haec exhibet his morbis specifica momenta: venositas praevalet, luminum amplificatio, dilatatio neque autem uti jam supra memoravi, nova earum ramificatio existit. Organa correpta, color specificus, a rubro fusco usque ad nigrum progrediens. Hujus pigmenti causa et variatio a cruoris qualitate depravata et abalienata dependet et talem quidem proportionem observans, ut eo magis extensum et perspicuum se manifestet, quo minus exiguum novum productum et deletio loci affecti existat. Volumen non auctum, textura permutata observatur haud dissimilis in hydrocephalo mollitiei, in cancro aquatico, indurationi quomodo in illa textus cellulosi. Nervos non verisimile sed revera, novam iniisse mutationem et conditionem jam inde elucet, quantopere totius morbi incrementi et decursus participes se manifestant. Specifica adsunt secreta et eorum copia quod attinet ad memoratum pigmentum oppositam observant rationem. — Febris denique, quae tertium momentum in considerandis his mor-

bis singulare occupat, semper adest variam autem indolem prae se ferens. Raro, et tum in stadio irritationis, synocho se appropinquat; crebrius erethicae conditioni indulgens; interdum statim character ejus torpidus intrat permanetque. Omnino autem ad hunc se convertit, si ejus initium etiam utriusque synochi vel erethismi naturam praebuit. Aequale discrimen ejus typus sequitur; primo intermittentem excipit remittens, quem continuus concludit. — Jam supra vidimus, quam parvi momenti scriptores in hoc morbo febrem existiment, quamvis nulla justa causa adjuti. Permagna deletiones in organismo, paucis exceptis, si perpetua humorum defectura iis non conjunctae sunt, sine febris observari licet, ubi autem tantam jam perniciem adeptam est potestatem, undique impedimenta sanguificationis et nutritionis promanant et perturbationem functionum universalem promovent; quomodo fit, ut febris appareat ejusque causis moventibus proximis propriisque specificam secum portet conditionem.

V I T A.

Ego *Godofredus Aschmann*, ecclesiae evangelicae adscriptus, **Christburgo-Borussus**, natus sum anno hujus saeculi IX., die XVI. m. N., patre optimo *A. Aschmann*, matre e gente *Porschiana* — utrosque jam dudum cheudefunctos, lugeo.

Ex anno aetatis XII. **Gymnasium Brunsbergii** Directore *Cl. Schmülling* florens per octo fere annos frequentavi, testimonioque maturitatis instructus inde dimissus sum. Annum vitae vigesimum agens **Regiomontii** a *Prof. Dr. Reidenitz*, t. t. Prorectore Magnif. in civium academicorum numerum et a *Sachs*, *Prof.*, t. t. Decano in Medicorum ordinem receptus sum.

Praelectorum hic fuit ordo: Docuerunt me *Cel. Herbart* Logicen et Psychologiam; *Neumann* physicen et mineralogiam; *Meyer* botanicen generalem et specialem; *Dulk* chemiam experimentalem, zoochemiam atque pharmaciam; *Burdach* jun. osteologiam et syndesmologiam, myologiam, neurologiam et artem cadaverum rite secandorum; *de Baer* splanchnologiam et angiologiam et zoologiam; *Burdach* sen. historiam evolutionis foetus, historiam animae naturalem, physiologiam, *Richter* jun. materiam medicam et artem formulas medicas concinandi; *Richter* sen. praemature defunctus therapiam universalem; *Sachs* theoriam morbi, therapiam specialem et

morbum syphiliticum; *Hayn* artem obstetriciam et theoreticam et practicam; *Unger* chirurgiam generalem et specialem, operatoriam et artem fascias imponendi.

Clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmologicum duce Cel. *Unger* frequentavi; clinicum medicum ducibus *Elsner* et *Diez*; policlinicum medicum ducibus *Richter* et *Sachs*; clinicum obstetricium et mojocommum duce *Hayn* et auscultans et aegrorum in me curam recipiens.


Per semestre praeterlapsum hanc inclytam literarum sedem frequentavi, a Prof. Dr. *Straufs*, h. t. Prorectore Magnifico in numerum civium academicorum, et ab Ill. Prof. *Busch*, h. t. Decano, in medicorum ordinem receptus sum. Ill. Prof. exercitationes clinicas chirurgicas *Rust* et *Dieffenbach*; exercitationes clinicas morborum syphiliticorum *Kluge*; policlinicum medicum denique moderantes *Hufeland* sen., *Osann* et *Busse* audivi, sicuti medicinam forensis legentem *Wagner*.

His omnibus praeceptoribus summopere venerandis de summis in me meritis gratias habeo, quas possum, maximas; prae ceteris autem pio gratoque animo memoro viros Cl. *Schmülling*, *Biester* et *Bumke*, primis litterarum rudimentis me imbuentes, sicuti in Academia Albertina Prof. summa cum benevolentia me instituentibus sinceras gratias agere me decet Cel. *de Baer*, *Unger*, *Burdach* sen., *Hayn*, *Richter*, *Herbart*, *Reidenitz*; quibus etiam spectabilem Ill. Decanum *Busch*, *Osann*, *Dieffenbach*, *Barez*, *Froriep*, *Hufeland*, *Bartels* adnumero; nec non fratrem meum ad cineres usque colendum.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore ut dissertatione thesisque rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Irritabilitas a nervis dependet.
2. Suicidium semper animi morbum supponit.
3. Febris gastrica non existit.
4. Omne animal temperamento praeditum.
5. Materia organica perverti nequit nisi vii
vitali antea jam depravata.
6. Menstruatio non necessaria.
7. Systema medicinae naturale constitui ne-
quit.
8. Psychologus nemo, nisi medicus.





DICTATED

SOME TIGHT
GUTTERS